

VVOGLFGANGVS MVSC. AD LECTOREM.

Haëtenus de singulari Psalmorum usu, Lector in Domino charissime, qua in presenti occurrerunt, tecum commentari, & Operi huic nostro præfari libuit. Possem addere de autoribus Psalmorum, omnesne Dauidi, vel aliqui duntaxat adscribi debeant: deinde & de Epigraphis, ac titulis. Verùm ista nec adeò sunt magni momenti, ut citra pietatis iacturam negligi nequeant: nec tam certis constant rationibus, ut indubitata veritate declarari possint. Quare ne te diutiùs detineam, finem hìc præfandi facio: hortorq; nunc, ut ad ipsa sacrosancta diuinissimi vatis adyta, auspice Deo, competentiq; mentis alacritate, non solum obiter, & à primo limine salutanda, sed peritius & ad finem vsq; inspicienda, ac toto pectore complectanda accedas. Pax Christi conscientiam tuam in spe gratia cælestis, ac vera pietatis studio conseruet.

AVGVSTINVS.

Non vox, sed votum: non chordula musica, sed cor:
Non cantans, sed amans, cantat in aure Dei.

INDEX

